


II f
1150

D. O. M. A.

Oratio
DE CONCOR-
DIA;
Quam

IN INCLVTA ATQVE
CELEBERRIMA WITEBERGEN-
sium Academia, ex publico loco, 8. Ca-
lend. Iunij, anno à partu virgineo
1597, edisseruit

IOHANNES CRAMERVS, ANGLA-
MENSIS, POMERANVS.



WITEBERGAE
Typis Simonis Gronenbergij.

M. D. XCVII.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

213.79

AMPLISSIMIS ET PRVDEN-
TIS SIMIS VIRIS, ERVDITIONE,
PIETATE, ALIARVMQVE VIRTVTVM
splendore clarissimis, Dn. CONSVLIVS, CAME-
RARIIS & SENATORIBVS inclutæ Reipublicæ
Cossinensis; Dominis meis officiosè colendis
ἐν ῥωίᾳ καὶ ἐν δούμοις ex intimis animi mei
penetralibus precor & opto

IOHANNES CRAMERVS, ANGLAMENSIS.

Hæc quidem, Viri Amplissimi & Prudentissimi, ita, inquam,
quidem moris est, ut nostras lucubrationes, quas in publicum
propellimus, gravitate & autoritate præclaris viris consecre-
mus & offeramus: Quem ipsum non hodie demùm introductum & re-
ceptum, sed iam olim à veteribus Ethnicis legumlatoribus approbatum
esse statuamus. Etenim hoc cuius historiarum monumenta vno oculo per-
lustranti conspiciere licet, quod & isti plerunq; suas operas siue sanctiones
ad numen aliquod retulerint, ut Numa ad Aegeriam: Lycurgus ad Apol-
linem: Solon ad Mineruam: Minos ad Iouem: Charondas ad Satur-
num: Trismegistus ad Mercurium. Neq; eiusmodi sine grauib; qui-
busdam fetere causis. Voluere enim hac ratione sua quæcunq; in lucem ex-
trusa aut contra oggannientium Zoilorum latratu tutari & munire, aut
ijs, quos publicis scriptis compellârunt, argumentũ suæ erga eos obseruantia
& gratitudinis, ratione collatorum in se pro meritorum, modis omnibus de-
bita declarare. Cùm itaq; hoc ita, Viri Amplissimi, sese haberet, ego quoq;
qui modò quæcunq; *πρὸ ῥύμνασμα* Oratorium publicè hîc Vitebergæ in
confessu graui, illustri & frequenti habitum publici iuris facturus eram,
diuturnam illam consuetudinem obseruare, ad VV. AA. appellere, & eius-
modi opellam meam ijs dicare & inscribere constitui. Nec saltem id facti-
tare

tare animum induxi, ut hancce minimè Lelijs & Catonibus scriptam,
sub VV. AA. tutelâ à moribus Momulorum, quibus nostro hoc infelicissimo
tempore nihil adeò membris omnibus absolutum esse potest, quin id sugil-
lent, lacerent, & ad ipsam Charontis ianuam abijciendum putent, immu-
nem & tutam redderem, verùm etiam VV. AA. eam nuncupando grati-
mei erga easdem animi specimen ederem. Nam cum nuper VV. AA. mea-
rum Musarum rerumq; rationes inierint, & me prater omnem spem &
expectationem, iuxta mirificum diuinæ providentiæ ductum, unanimi
consensione & suffragio ad honestissimam quandam functionē in VV. AA.
urbe adeundam vocârint; inprimis mearum partium esse autumavi,
ut me VV. AA. memorem & studiosum istius officij, quod bene merenti-
bus debetur, exhiberem. Quod itaq; Viri prudentissimi, nunc VV. AA.
grata mentis declaranda ergo munusculum do dicoq; accipite quæso, nec
tam huius dignitatem & utilitatem spectare, quàm illud agere conemini,
quod potentissimum REGEM PERSARVM DARIVM egisse
legimus, qui neq; aqua turbida haustum ab homine vilissimo ohlatum vo-
lens libensq; accipere dedignatus est. Quibus VV. AA. DEO ter Optim.
Max. commendo, qui ex sui Numinis & nominis gloria VV. AA. con-
silia dirigat, omnes simultates ab earundem urbe auertat, & amabilem dul-
cissimumq; Concordiæ florem in eâ, uti hætenus, vigere, nec unquam
marcescere patiatur. Quod ut prepotens ille & misericors noster Pro-
creator & Conservator faxit, summa animi deuotione precor & obtestor.
Valeant VV. AA. benè & feliciter, & sibi de suo Cramero omnia officiola
& studia promittant. VVitebergæ, ex meo μελεκτηριῶν anno τῷ θεῷ
γενομένου 1597. 8. Calend. Iunii.

Sequitur PROGRAMMA MAGNIFICI DN. PRORECTO-
RIS, quo publicè adfixo studiosos ad actum Orationis
inuitatos vocabat, aduocabat.

A. 2

PRO-

PROFECTOR ACADEMIAE VVITTE-
BERGENSIS M. IOHANNES HAGIVS,
*publicus Mathematicum professor, Optima-
rum Artium Studiosis S.*



Vm in literaria Inclutæ huius Acade-
miæ δημολοία non exiguo temporis in-
teruallo multi versentur: Et verò lau-
dabili huius Academiæ consuetudine
receptum sit, idque ουκ ἀλόγως, vt qui πα-
γεγχειρήσεως καὶ προκοπῆς specimina publicè edere decre-
uerunt, publica autoritate subleuētur: Consensu no-
stro hodiè, hora ix matutina, Orationem de CON-
CORDIA, in Collegio Nouo, Ornatissimus atq; do-
ctissimus Iuuenis IOHANNES CRAMERVS, AN-
GLAMENSIS, POMERANVS, est habiturus; Ad hanc
audiendam eruditissimos quosq; huius Academiæ
Alumnos ex officio inuitamus, vt in eo exercitati-
onum genere, quod πεποικνωμένως in hoc celeberrimo
Lyceo ab optimarum Artium studiosis frequentatur,
huius quoq; conatibus hac in parte non desint Audi-
tores, qui haudquaquã nihili sunt censendi, sed li-
berali ingenio digni instituti. Defert vicissim ad v-
niuersos & singulos, quæ ex ipsius facultatibus
proficisci possunt, officia. Valete.

P. P. Anno 1597. 24 Maij.

ORATIO.

Egimus, Magnifice Dn. Prorektor, Viri Re-
 uerendi, Clarissimi, Excellentiss: Lectis-
 simiq; Professores inclut & atq; celeberrima
 huius Academia dignissimi, & Praeceptores mei omni
 obseruantia colendi, nec non tu iuuenum concio nobi-
 lissima, ornatissima, ingeniosissimaq; quibus omnibus
 et singulis pro splendidissima hac sua presentia gra-
 tias ago immortales, legimus, in qua, Demosthenem
 aliquando ab Atheniensibus in Macedonia, ut cau-
 sam de pace coram Rege Philippo, laudatissimo Ale-
 xandri Magni patre, peroraret, a legatum, adeo hu-
 ius intuitu perculsum exterritumq; fuisse, ut lingua
 titubare, voce haerere, ipsasq; quod aiunt, ranas Se-
 riphias emulari coeperit, ita quidem, ut, nisi ipsius
 itineris comes legationisq; socius Aeschines orandi
 munus subiisset, re nondum expedita summa cum i-
 gnominiâ & dedecore discessio facienda fuisset. Idem
 ne mihi modo in hoc amplissimo consessu eueniat, ve-
 hementer vereor. Nam si tale quippiam omnium
 Oratorum in Graeciâ olim florentium vexillifero &
 nosu quâ obtingere potuit, ut unius Regis aspectu per-
 turbaretur, magisq; elinguis, quam scapha, uti dici-
 tur, redderetur: quid mihi tandem animi esse arbi-
A 3
trabi-

O R A T I O

trabimini, qui illi ne quidem minimam ex parte respondeo? Si enim quid in me est ingenij, aut si qua exercitatio, aut si aliqua ab optimarum artium studiis & disciplinam profecta dicendi ratio; satis sentio, quam hac sint perexigua, parva, imò fermè nulla. Cui accedit, quòd non in unius Principis aspectum delatus sim, sed eo in loco dicendi gratia constitutus, quem omni liberali doctrina imbutorum, plurimis atque optimis artibus instructorum, & omni deniq; pietate & virtute praestantium, non modò studiosorum, sed etiam Professorum corona celeberrima cingit & circumfluit. Vnde mihi ab utraque parte plus etiam perturbationis ac terroris, quam summo isti Atheniensium Oratori, injici video, ut multò magis mihi metuendum esse autumem, ne eruditas, tersas & politas aures vestras equa bilance examinando exalbescam; imò obmutescam, & ne hilum quidem proferam.

Verum enimverò sicuti Æschines, Demosthene obticescente in se dicendi partes suscipiens, metu etiam initio quodammodo fractus, tunc demum feliciter animoq; virili id, quod oratione enodare animum induxerat, pertexuisse scribitur, postquam Rex Philippus

lippus

DE CONCORDIA.

lippus eum placido vultu, serenaq; fronte sapius aspexerat, & hac ratione suum erga ipsum beneuolum propensumq; animum declararat: ita vos, Auditores dexterrimi, omnem mihi ex animo timorem eximere videmini, dum omnium vestrum in me conuertitis ora, oculosq; fixos & immotos tenetis. Etenim ecquid caussa esset, quin inde singularem mihi de vobis beneuolentiam summamq; animi attentionem pollicerer? Noui enim, & optimè noui antehac insignem vestrum in iudicando candorem, & nunquam satis laudatam equanimitatem, quâ omnes ex hoc augustissimo, ad dicendum amplissimo, omniq; liberali exercitatione dignissimo loco declamantes complexi estis. Quocirca nec ego dubitabo, quin mihi eadem sitis affuturi mente & animo, meamq; tenuitatem vestra benignitatis, bonitatis & fauoris aurâ subleuaturi. Ne itaq; quibuscunq; verborum anfractibus vos longius suspensos detineam, id, quod res est, aggrediar, & de CONCORDIA, generosa nobilissimaq; illa virtute verba facere conabor, quo argumento, si delectum materia attenderimus, nullum huic exulceratissimo turbulentissimoq; tempore conuenientius, nullumq; accommodatius mihi oblatum fuit.

ORATIO

fuit. Cū enim, proh dolor, in hac ultimā mundi senescentis canitie omnia sursum deorsumq; ferantur, bello, igne, intestinis dissidijs ardeant, quavis simultates dominantur, & vix amplius vlla Concordiæ vincula intra Ecclesiæ pomeria, totiusq; Germaniæ, dulcissima patriæ nostræ, limites conspiciantur: nullius virtutis commendationem magis necessariam & frugiferā, quàm huius ipsius, fore putavi. Minimè tamen istius mihi arrogantia, Herculeaq; quasi audaciæ, insolentiam imponere volui, ut vos, vos inquam, excellentibus à naturā ingenijs præditos, omni Musarum Charitumq; munificentia ornatos, à diuturno assiduoq; magnarum rerum usu peritos, & ipsi Concordiæ totos dicatos, de eā commonefacerem, sed ideò libenter feci, quòd vestros animos hætenus semper quarumlibet virtutum commemoratione vehementer affici compererim ac intellexerim. Quod cū ita sese habeat, mihiq; ipsa per se delecta ad dicendum materiæ dignitas satis magnam factura audientiam videatur: nullam animo meo hesitationem de arrectā aurium vestrarum indulgentiā & parato vestro mihi exigui temporis usuram largiendi studio obrepere sinam, quò etiam, ne
mihi

DE CONCORDIA

mibi præstò esse dedignemini, maiorem in modum oro
& obtestor. Vnde verò Orationis mea telam exor-
diar? Numne iam vela explicaturus, altumq; quod-
dam mare ingressurus, ^{ἐν ναυόπλῳ} quasi, quid Concor-
diam esse judicemus, proponam ac præmittam? Præ-
mittam equidem, cum & hanc dicendi rationem do-
ctissimi & probatissimi quiq; semper approbârint,
collaudârint, & secuti fuerint. Sit itaq; in confesso,
eam consensionem esse de rebus honestis & licitis, quæ
aliquid iniuriarum musitat, nec ad viuum omnia
refecat, sed de iure suo, quantum eius fieri potest, ce-
dit, ne quid turbarum excitetur. Non enim hoc no-
minis qualibet hominum nefariorum conspiratio me-
retur, qui sæpe societatem ineunt & pactiones confi-
ciunt, ut tantò facilius & commodius maleficia, de
quibus consilia captârunt, rationesq; subduxerunt,
committere queant: Quod non modò contingit, quo-
ties homines naturâ feroces, ad vim prompti, ad se-
ditionem parati, ad omne facinus audaces & o-
mnium perniciem anhelantes in sylvis densissimis,
profundissimis specubus, aliisq; locis abditissimis con-
fluunt, & omnem industriam adhibent, ut cuius
noceant, pericula intendant, damna creent, alienas

B

in

ORATIO

in opes tutis legum repagulis obseratas, furtiuas & incontinentes manus immittant, infinitis dolis, technis, fucis quemlibet circumueniant, & miseris modis publicam tranquillitatē perturbent: verum etiam, quoties Diabolica organa, ipsi heretici, acerrimo lehoue piorumq; omnium odio flagrantes, paciscuntur, coniurant, & eò omnia sua studia, machinationes, artesq; planè Sinonias dirigunt, ut Ecclesiam Christi cum variarum persecutionum, tum prodigiosorum errorum cataclysmo obruant, sacrosanctaq; DEI oracula cum gratiæ signis hisce annexis obnubilent, obnubilata corrumpant, corruptaq; radicibus extirpent, uti hac in re Papicola nobis exemplo esse poterunt. Concurrerant enim isti magno agmine, & ad inhibendū Euāgelii cursum & progressum iunctim sese accingebant, cum Megalander ille & verus Germania Hercules Lutherus vix ipsos sacrorū Bibliorum, ultra octingentos annos à raso cohorte in suis angulis Monasticis sub ferreis clathris detentorū, fontes iterum aperire, æterna salutis præconium ex hoc Libano monte, ad Albim fluum sito, intonare, & Tenebrionum Romanorū patris, Pape, innumeras hallucinationes, elusiones, scetentesq;

&

DE CONCORDIA.

Et crassos mendaciorum glomos detegere Et evolueri
 cœpisset. Verum eiusmodi hominum sceleratorum
 Christi^q hostium conspirationem minimè Concordiæ
 nomine dignam estimamus: siquidem illa nihil ali-
 ud querit, quàm ut contra ius Et æquum factiones
 excitet, proximo incommoda importet, Et quasuis
 calamitates struat: hæc autem econtrà in rebus sal-
 tem licitis Et honestis consentit, honestamq; Et iucun-
 dam animorum copulationē, nihil mali spectantem,
 efficit. Est enim detrimentorum proximo illatorum
 prorsus nescia, Et comitem perpetuam ἐπιεικειαν habet,
 quæ in persequendis iniurijs aliquid de summo iure
 relaxat, æquo animo aliorum nausos Et infirmitates,
 utpote morositatem, iracundiam, πολυπραγμοσύνην, glo-
 riæ aviditatem, segnitiam, Et c. tolerat, nec ambiguè
 facta, si quæ sunt vel oboriuntur, in deteriore rã-
 pit partem, sed aberrantes invicem reducere non e-
 rubescit. Cuius æquitatis insigne Et egregium exem-
 plū Plinius in brutis animalibus sanæ rationis egen-
 tibus proponit. Adducit enim iste duas capellas, e-
 differitq; quòd, cum sibi invicem in ponticulo quodã
 angustissimo occurrissent, altera leniter, sese decli-
 nando, procubuerit, Et sese ab alterà, dum transiret,
 conculcari tolerarit.

B 2

Quo-

ORATIO

Quo ipso ille mehercule vivis quasi coloribus nobis
Concordiæ studium delineat & depingit. Quod
enim hasce capellas sibi inuicem exhibuisse, non sine
singulari quadam animi admiratione, percipimus,
idem ipsum accuratè, haudquæ oscitanter præstat, idquæ
ideo, ne publica salus, cui maxime consulamus &
inseruiamus necessum est, labefactetur, sed sarta te-
ctæ conseruetur.

His autem carptim prælibatis ut plus accedat lu-
cis, penitiùs rem rimabimur, & nos ad eruendos i-
psos Concordiæ fontes accingemus, cum, ut oculatissi-
mus noster ille Aristoteles monet, scire nihil aliud sit,
quàm rem per causas cognoscere.

Primam itaque & perennem huius virtutis sca-
turiginem inuestigaturi, solum DEVM ter Opt. max.
illius autorem celebramus & asserimus. Quemad-
modum enim ille rerum omnium opifex & præpotens
moderator alia, numero plurima & pondere gra-
uissima, beneficia in humanum genus largiter con-
tulit: ita quoque ipse vnicus & certissimus pacis &
vniuersæ tranquillitatis largitor est, quamque ut
colamus, suspiciamus, & inter nos conseruemus, fi-
delissimè nos hortatur, jubet, instigat. Quod ut com-
munia-

DE CONCORD.

muniamus, superuacaneū fermè esse videtur, siquidem ultra sexcenta sacrarum literarum testimonia adduci possent, si non iam in clarissimā luce versarentur, & cuilibet aliquam duntaxat sanæ mentis unceolam habenti notissima essent. Vt tamen ex iis unicum excerpamus, dulcissimam & cygneam istam à Christo ante suum ex hoc mundo abitum ad discipulos habitam concionem saltem contemplemur & ponderemus, in qua hisce suis Apostolis nihil magis quàm Concordiæ vinculum commendauit. Meminit enim hanc virtutem ipsorum quoque professionis infallibile symbolum & certissimam notam futuram, ex qua euidentissimè appareret, quales, cuiusve Domini & Preceptoris ministri & discipuli essent. Quare etiam, ne unquam in Concordiæ studio defatigarentur, suisq; votis viuere possent, ipsum Spiritum sanctum illis promisit, ut hic eorum voluntates & corda cum ad DEI amorem, tum dilectionem proximi, mutuamque beneuolentiam flecteret, & communi charitatis vinculo eos, omnesque Christo sua nomina professos in unum quasi corpus cum Deo, sanctis Angelis, beatisque hominibus adeò arte constringeret & copularet, ut licet undiquaque

ORATIO

turbulentissimis discrepantiū errorum fluctibus ex-
 agitantur, persecutionumq; infinitarum procellis
 hinc inde disijcerentur: nulla tamen vi, nulloq; tur-
 bine disploderentur. Est itaq; certissimum, & omni-
 vero verius, hanc virtutem ex omnium bonorum
 fonte DEO promanare, ab eo unice iniungi, eumq;
 plurimum hac delectari. Quod qui inficiari & pro
 nihilo habere in animum induxerint, ij hominis no-
 mine & titulo indigni sint, necesse est. Etenim si He-
 siodus homo profanus & à Christiana Religione ali-
 enus, eos pessimos esse ait, qui nequidquam sapiant
 ipsi, neq; bene monentibus inter homines obsequan-
 tur; pro certo statuendū est, istos, qui monenti DEO
 refragantur, & virtutem, cui ipsius vox immuta-
 bilis non postremum attribuit locum, aspernantur, o-
 mnis amentia & scelerisq; socios esse, & sub huius mun-
 di principis Cacodamonis vexillo militare. Nam Le-
 viathan iste solus omnem suam operā, cogitationem
 & industriam in eo figit, ut voluntati divina obla-
 tret, reclamet, & ad hāc contemnendā reliquas Cre-
 aturas pelliciat, cuius facti tamen in censorio illo die
 dignam reportabit mercedem, & eterno inextingui-
 biliq; cum omnibus impiis torquetur igne. Quocir-

ca

DE CONCORDIA.

ca neq; studij Concordia osores, nisi resipuerint, ab eo se immunes futuros arbitrabuntur, siquidem huius virtutis auctori & datori rebelles fiunt, & ad Sathanae placitum vitam instituunt suam.

Porro non tantum sacra scriptura, sed & uniuersa rerum natura, & suus quemq; animus, si aut quicquam pietatis ei adhuc infederit, ad amplexandam Concordiam exuscitat, allicit, inuitat. Nam, uti Aristoteles, iure primis in Philosophico theatro subsellijs collocandus, ait, ἀνθρώπος ἐστὶ ζῷον φύσει πολιτικόν, id est, homo est animal naturā societatis amans. Nulla autem societas, nullaq; conuersatio absq; Concordiā constare potest. Nam huius tanta est nobilitas, tantaq; vis, ut uniuersam hominum communionē tanquam adamantino quodam vinculo contineat, & nec domus, nec ciuitas, nec gens ulla sit, quae sine eā vel tantillum consistere, & incolumis durare possit. Merito itaq; Timon, μισάνθρωπος iste inter portēta natura numerabitur, qui solitariā egit vitā, cum nemine conuersatus est, nec ullū familiaritate sibi coniunctū habuit, sed unicū duntaxat, Alcibiadē, complecti & exosculari solitus fuit, quod magno eum aliquādo detrimento Atheniensibus futurū, prospexisset.

Nam

ORATIO

Nam tale quippiam factitare, non hominis est, sed
 id toti naturæ repugnat, quæ potius, ne nos ulla un-
 quam Concordiæ & mutua benevolentia caperet obli-
 vio plurimas & iucundissimas nobis imagines propo-
 suit, & omnibus mundi partibus impressit. Si enim
 cum primis ingenij aciem ad corporum cœlestium mo-
 tus converterimus: non sine summâ suavitæ spe-
 ctare licebit, secunda mobilia obliquo ductu primo
 contraniti, & admodum miris anfractibus quæq; si-
 bi mutuò cedere, ut suam harmoniam tueantur. Sic
 ipsa mundi Elementa suo Exemplo indissolubilem a-
 liquam coniunctionem nostris oculis subijciunt. Licet
 enim hæc sint diversissima: tamen ex iis omnia mun-
 di corpora, quæcunq; in totâ hac sublunari regione se-
 se nobis offerunt, constare novimus. Pari pacto ad-
 mirandum quoq; consensum in membris corporis hu-
 mani cernimus, quæ aptâ inter se coagmentatione
 colligata, mutuis presidiiis & auxiliis ad univèrsi cor-
 poris formam & salutem procurandam conspirant,
 & ita sese complectuntur, ut unico eorum malè af-
 fectò univèrsa & singula condoleât, & συμπαθεία con-
 testentur. Ita idem in eadem corporis fabricâ con-
 venientique positu venæ & arteriæ comprobant, quæ
 etiam

*Concordia
 mutua benevolentia
 caperet obli-
 vio plurimas
 & iucundissimas
 nobis imagines
 proposuit*

*Ingenij aciem
 ad corporum
 cœlestium
 motus converterimus*



DE CONCORDIA.

etiam mutuas operas sibi tradunt. Etenim Venæ sanguinem, tanquam pabulum & alimentum, Arteriis, vitalis spiritus vasis, communicant: Hæ illis vicissim naturalem calorem per poros suos largiuntur. Relinquitur ergo, naturâ ipsa nos ad pacem mutuam rapi, quam etiâ ducem sequi meritò debemus.

Denique hoc explorata fatetur veritas, quòd omnes, qui ratione se duci patiuntur, neq; suis indulgent cupiditatibus, in primis autem, qui liberalibus disciplinis imbuti sunt, & Musarum sese sacerdotio manciparunt, ad illustrem hanc virtutem proclives sint & propensi. Nam Philosophia, uti Philosophus ille acutissimus Seneca meminit, sensum communem, humanitatem, & congregationem confert. Non enim solum accuratum iudicium de rebus in communi vita necessariis, veluti de oratione, proportione, numeris, figuris, naturâ rerum & historiis suppeditat, atq; dulcissimam copulationem iustitiæ cum virtutibus mitioribus, ut, liberalitate, comitate, urbanitate, tolerantia & mansuetudine præstat, iuxta Ovidianum illud:

Adde, quòd ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec finit esse feros:

C

sed

ORATIO

sed etiam in nobis studium congregandi & fouendi societatem excitat, quod in collatione hominis Philosophia dediti cum homine $\alpha\mu\delta\sigma\omega$ & illiterato manifestum euadit. Lippis enim & tonsoribus, quod aiunt, notum est, quod ille non modò in dictis & factis hoc longè humanior sit, sed & honestæ societatis amãtior, ad mutuam beneuolentiam placidior, maioriq; sedulitate præcaueat, ne ullà occasione tranquillitatem violet. Patet itaq; ex allatis, Concordiam, à Deo auctore naturæ inditam & sanæ rationi instillatam, fidei quoq; in humanioribus artibus exercitatione plurimum iuari.

E contrà verò cordium recessibus infigendum est, quòd discordia neq; à cæli terræq; Monarchà, neq; à rerum omnium genitrice, neq; à ratione, neq; ab ulla liberali institutione originem trahat, sed quod hostis & serpens antiquus, Diabolus, huius causa caputq; existat.

Quemadmodum enim ille in ipso Paradiso, primo nostro parente vix è limo terræ diuinitus condito, & omnium matre Heuà ex costâ, desumpta è latere Adami, fabrefactâ. litium semina dispersit: ita inde à prima mundi origine altercationum & turbarum fluctus concitare studuit, & omnibus modis con-

tendit

DE CONCORDIA

tendit, quod non tantum literæ sacræ, sed & scripta
Ethnicorum edocent. Nam dum ipsi ex solo inferna-
li abyſſo diſſenſiones proficiſci nõſſent, iſtarum quoq;
principia & cauſas DEAS infernales ſeu Furias
conſtituerunt, quibus & diſtincta ac peculiaria ab
earum effectu deſumpta attribuerunt nomina. Pri-
ma enim harum ab ijs vocitata eſt Alecto, quod eſſet
irrequieta, nunquam deſinens, aſſidue ad conſtandas
ſeditiones parata: Altera vero Tiſiphone, quod ca-
dium & homicidiorum curam ageret, eaq; ulciſcere-
tur: Tertia deniq; Megera, quod apud homines
odium, iram, lites & maleuolentiam ciceret, veluti
hoc ſubinnuit Claudianus, de eã ſic ſcribens:

Quam penes infani fremitus, animiq; profanus
Error, & vndantes ſpumis furialibus iræ.

Tanta autem Furiarum ſiue ipſius Sathana rabiei
in mouendis factionibus ipſamet quoq; quorundam
hominum improbitas accedit, qui ſuopte ingenio &
proprio inſtinctu ſape extra ſepes ruunt, & mate-
riem rixarum quarunt, unde conſlictus, bella & in-
numeræ cedes non raro oriuntur. Idq; multis Exem-
plis ex hiftoriarum armario hinc inde depromptis
probari poſſet, niſi hac ipſa tempeſtate rerum omnium
Magiſtra Experientia rem planiſſimã redderet, &
noſtra aſſertioni firmamẽta validiſſima adiungeret.

O R A T I O

Quamobrem, ne lucernā in meridie accendere videamur, hinc pedem exeremus, & varias insignesq̄, quas Concordia profert, utilitates perlustrare incipiemus.

Quod ut prestari commodius possit, prius, quo-
tuplex ea sit, & ubi locum sibi vendicet, monebimus.
Vendicat autem sibi locum tam in Ecclesiā & Scho-
larum gubernatione, quā in Rerum pub. ac œconomiæ
administratione. Diffundit itaq̄ sese in omnes to-
tius vitæ humanæ status ac ordines, quos præpotens
& misericors DEVS, pro ineffabili sua sapientia,
in hisce terris sanxit, & firmis legum repagulis cir-
cumsepivit, cum non ex Medico & Medico, nec ex A-
gricola & Agricola, sed ex Medico & Agricola civi-
tatem constare voluerit. In hisce autem singulis vitæ
generibus hoc prestat, ut nos invicē mutuis præsidijs
& officijs inuenimus, libenter nostræ opis cupidos sub-
leuemus, & quod uni alicui denegatum est, id ipse
alterius auxilio penset. At hæc fortasse melius perci-
pi poterunt, si ordine enodentur & exponantur.

Cum primis ergo statum Ecclesiasticum nos in-
uisere iuuabit, qui, si pacem obtinuerit, & docentes
Concordiæ amore flagrantes habuerit, inde primò
consequitur, ut ille, qui terrarum sola gubernat, &

è cu-

DE CONCORDIA

è cuius nutu omnia pendent, vero decoretur honore, observantia & reuerentià debità afficiatur, dignis emeritarum laudum encomijs extollatur, & ei ea tribuatur gloria, de quà cœlestes selectorum Angelorum copia Christo recens nato consonà & pari voce, oratione, testimonio gratulantur, & suauissimum carmen natalitium concinnant. Hicce enim honor, quem DEO persoluimus, gratantiq; ore resonamus, summum est hominis bonum, quod unice expetere, & sicut pretiosissimum thesaurum esurire, sitire debet. Nam huius si compos redditus fuerit, omni molestia vacabit, facilem & expeditum vitæ cursum obtinebit, jucundissima quiete fruatur, & spe nitetur firmissima, se olim, quando ex hac vitâ omnium ærumnarum, miseriarum & afflictionum serapiis mixtâ auocabitur, in patriam cœlestem enataturum, coram conspectu individua Trinitatis appariturum, & cum pijs Angelis omnibusq; beatis DEO sine omni fastidio sempiternas laudes decantaturum.

Deinde ex verbi cœlestis doctorum & præconum unanimitate, & optime de omnibus sacra scriptura dictis & fidei Christianæ articulis consensu illud quoq; proficiscitur, ne dubitationum procellis

ORATIO

conscientia concutiantur, animi auditorum deformi
 dissidiorum, Sycophantiarum, fabularumq; monstro-
 sarum aspectu, velut Gorgone quadam, conterrean-
 tur, prodigiosisq; opinionibus, veluti apes fumo, di-
 sturbentur, sed hi omnes vinculo unius & consenti-
 entis doctrinae consociati & copulati, ab eorundem ma-
 lorum Iliade sint immunes, & exactissime, quid de
 DEO, de animae salute & beatitate, Christi passio-
 ne & morte parta, indubitataq; fide apprehenden-
 da, sentiendum & credendum sit, pro explorato ha-
 beant. Vnde postea emergit, ut ex animis omnis ex-
 pellatur luctus, sollicitudo, fletus, & succedat letitia,
 gaudium, risus. Nam bona conscientia, qua tempore
 tranquillo in verbo DEI munitur, & recte erudi-
 tur, ea vis & potestas est, ut omnem demat egritudi-
 nem, & quemvis gestire, curare, triumphare faciat.
 Vnde Nazianzenus gravissime ait:

Λαζίν. οὐδ' ἐν οὐτως εὐφρόνῃ ὡσπερ καλοῦ σωφροῦς, ἢ καὶ ἀγαθῆ ἐλπίδος, id est,

Nihil ita exhilarat, sicut bona conscientia, & bona

Aug. 10. spes. Cui suffragium addit D. Augustinus, qui ex-

clamat: Letitia bona conscientia est paradus ani-

Bernh. ma. Sed dubia conscientia e contra aliquid agit, atq;

adificat ad gehennam, ut D. Bernhardus ait. Qua-

propter

DE CONCORD.

propter liquidissimè apparet, consensionem Mysta-
rum Ecclesie insigniter prodesse, siquidè huius mem-
bra è dubitationum foueà extrahit, & conscientias
omnis hesitationis nescias reddit.

Deniq; si Concordia in Domini vinea resederit,
& sedem suam fixerit, adeò ingens etiam ex eà bo-
norum cumulus progerminat & promanat, ut Ec-
clesia termini protendantur, limites producantur,
& tanta ad eius vires accessio fiat, ut indies latius
serpat, & tandem DEI beneficio per uniuersum ter-
rarum orbem latissimè diffundatur. Nam eius ope
hac placidissimà fruitor quiete, quà nihil ad rerum
ortum, propagationem & conseruationem accom-
modatius est & prastantius. Hinc precipuè καὶ ἡμεῖς
ille Filius DEI Ecclesie, suæ mellitissima sponsa, ve-
ram animorum unitatem & ὁμοθυμαδὸν optat, intimisq;
suspirijs & gemitibus precatur. Nec precatur,
cum illi adhuc visibili specie affuturus esset, sed
iam iam ex hoc mundo abitum adornaturus, in
via de torrente iuxta Patris sui decretum bibitu-
rus, & humanum genus non ex profunditate
maris, sed abisso infernali extracturus: non ex
carcere cuiusdam viri prapotentis, sed ipsius
Dia-

ORATIO

Diaboli catenis liberaturus: nec ex potestate hominis, sed imperio & faucibus omnium hostium redempturus.

Pari ratione SANCTISSIMVS DEI SPIRITVS, per organum suum, Regium Prophetam Davidem, in Psalmis Concordiam siue *φιλὰδελφίαν* ad cælum usque extollit, & uti rem iucundam, suauem, utilem, & admodum decoram celebrat. Comparat enim eam oleo balsami fragrantissimi, quod ex sanctissimi & religiosissimi senis Aaronis vertice in barbam & sacras eius vestes descendit, totum tabernaculum suo gratissimo odore complet, & presentium nares mirâ cum iucunditate penetrat. Adequat subinde eam quoq; fecunditatis roris cœlestis, qui desuper decidit, per montes Sionis destillat, terras irrorat, herbas arescentes humectat, plantulasq; quasuis adeo largiter irrigat, ut reuiuiscere, folia extendere, flores expandere, fructus proferre, & late dulcem dispergere odorem incipiant. Quæ collationes seu Concordiæ imagines cum nobis ab ipso mutuo æterni Patris & Filij amore ob oculos proponantur, facile hinc colligi potest, immensas huius virtutis esse commoditates, quas in DEI habitaculum confert & derivat.

Tanta



DE CONCORDIA.

Tanta autem emolumenta minimè discordia affert, sed ex eà omnia mala in domum Domini scaturiunt. Si enim docentes & Pastores, veluti Cadmæi fratres, inter se digladiati fuerint, sese inuicem Zoileo flagello discruciarint, & alter alterius professionem liuidâ voce vulnerare, Theonino dente corrodere, petulantibusq; dictis mordicis insectari non erubuerit, fieri nequit, quin DEOTER Opt. Max. debitus honos detrectetur, conscientie dubijs cogitationibus distractæ in summas angustias deturbentur, & Ecclesia decreseat, vires amittat, ac ruinam minetur. Nam ad conspectum intestinorum in Ecclesia conflictuū rabies in externis hostibus non mitescit & remittitur, sed ardor cupiditasq; Euangelicam veritatem euertendi augetur, & incrementum capit. Cuius rei testem locupletissimam Ecclesiam in regione Palæstinâ post captiuitatem Babylonicam tempore Antiochi Epiphani, Syriæ Regis, extantem habemus. Cum enim Sacerdotes in hac constituti sese inuicè inuidiæ incēdio conflagrarent, prælijs mutuis consumerent, & præsertim Iason cum fratre Mene-lao de sacerdotio occupando acerrimè dimicarent, tandē res eò deuenit, ut sanguinarius & Tyrannus
D ille

ORATIO

ille Epiphanes, ob suam petulantiam & saevitiam
 επιμανης vocatus, copiis armatus ad urbem Hieroso-
 lymitanam ascenderet, eam oppugnaret, oppugna-
 tam expugnaret, expugnatam diriperet, quosuis in
 ea sibi obuios factos trucidaret, in omnem sexum &
 aetatem crudeliter saeviret, circiter octoginta millia
 hominum tridui spatio e medio tolleret, aliquot mil-
 lia captiva abduceret, e sanctissima templi parte
 vasa sacra una cum mille octingentis talentis ex
 Gazophylacio eriperet, in Syriam secum asportaret,
 & aliis mille modis Ecclesiam istam Iudaicam affli-
 geret. Sic Ecclesiae etiam Asiaticae satis superque te-
 stantur, quam graues calamitates ex dissensionibus
 mutuis emerferint. Testantur idem Ecclesiae Graecae,
 quae olim pacis & quietis beneficio florentissimae fue-
 runt, iam vero intestinis turbatae altercationibus
 prorsus prostratae iacent, & ita iacent, ut ne quidem
 rudera quaequam earum appareant.

Et quid opus plura accumulare exempla? Nam
 per se constat, quod mutuis simultatibus, odijs, insidi-
 is, conuitijs dominantibus nihil diu coherere possit.
 Quapropter soli tranquillitati & paci illa ^{επιγεια}
 assignan-

DE CONCORDIA.

assignanda erit, quod Ecclesiam propaget, conseruet, eius membra conglutinet, & in unum quasi corpus coniungat.

Verum utpote eiusmodi Ecclesiastica Concordia necessario, nisi aut sanctuarium illud DEI prorsus profligari & euerti debeat, requiritur: ita neque Scholastica, quæ merito huic annectitur, abesse sine detrimento potest. Nam parit ipsa eruditionem veram, & sapientiam, quæ nihil à Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum generi datū est, ut Tullius facundi & literarumq; Latinarum, teste Plinio, parens edisserit. Si enim Professores, præceptores, & Collegæ, quorum unus est ordo, unaq; ^{συμμοσία} amabili animorum voluntatumq; consensione, verà coniunctione, synceraq; benevolentia inter se deuincti fuerint, eadem mente & sententia idem senserint, idem spectarint, & mutuas operas amanter communicarint, iuxta illud Xenophontis, sic dicentis: Vt oculi, manus, pedes, ideo bini conditi sunt, ut coniuncti se adiuent, non impediant: sic fratres, collegas, animos & actiones conferre decet: certissimū est, iuuenilem aetatem non tantum

D 2 cul-



ORATIO

cultis, decoris, honestis moribus imbui: à malo, errore, feritate abstrahi: ad bonum, veritatē, virtutē assuefieri, nec vlla ratione offendi: verum etiam ad Castalios fontes, in sapientia pratum, feliciter deduci, omnium bonarum artium & linguarum cognitione expleri, & in his ita proficere, efflorescere, maturescere, ut tandem in templorum suggestis, in Academiarum & Scholarum cathedris: in Consulium, Iudicum & Senatorū subsellijs: in principum regumq; cancellis: in omnibus deniq; Christiana Reipub. locis fructus uberrimos edere possit.

Contrà verò si docentes dissidiorum inter se favillas fouere, in professione artium & quarumlibet disciplinarum alienissima malevolentia, κενοδοξίας καὶ φιλονεικίας studia usurpare, mutuis odijs in bellum ruere, & ut in arena Athletæ, ita in Scholis vivere cœperint, nec alter alterius vitia quodammodo dissimulare voluerit, iuxta præceptum illud:

Μηδ' ἔχθαρες φίλον τὸν ἁμαρτὰν & εἶνεκα μικρῆς, id est.

Oderis erratum nunquam leue propter amicum,

inde tandem ingens malorum lerna suppullulat, ut nimirum discentes non sine gravissimo peccato offendantur, malis moribus induantur, inq; studijs impediuntur, ita quidem, ut in ijs potius Pyrrhoni-
orum

DE CONCORDIA.

orum ^{ἐποχὴν} & Academicorum ^{ἀκαδημασίαν} radices agere videamus, quàm ut eos aliquos in humanioribus studijs progressus facere olfaciamus. O Concordia quàm incomparabile, ineffabile, diuinum bonum, ò virtus ab omni situ & puluere vindicanda, publica fame præconijs commendanda, & quod dicitur, apertis tibijs decantanda, quæ tantam ingeniorum labefactationem & perniciem auertit, & verè efficit, ut ex Academijs & Scholis, tanquam ex equo Troiano, non modò certatim acuti prodeant Philosophi, sed sapientissimi quoq; Iurisconsulti, Medici peritissimi, & quod præcipuum est, Ecclesiæ Christi doctores, propagatores, & propugnatores acerrimi.

At ut progrediamur, Respublicas quoq; contem-
plabimur, de quibus, si, quid ferant de Concordiâ bo-
ni, sciscitaberis, tersè, eruditè & grauiter responde-
bit ille apud Salustium: Concordiâ res paruas cre-
scere, discordia maximas dilabi. *Quemadmo-
dum enim in horto rerum omnium semina, si v-
nam eandemq; sedem semper obtineant, facilimè co-
alescunt; sed si sepius disijciantur, & de loco in lo-
cum transponantur, coagmentari, & fructum ferre
nequeunt, secundum illud Euagrii: φυτὸν μεταφερόμενον*



ORATIO

συνεχῶς, κατὰ ἴδου ποιῆ: Ita Respublica, si cives concordis-
 sime uiuant, bene habet & uiget: sed si eorundem
 voces semper dissonent, mentes dissentiant, volunta-
 tesq; discrepent, ea iam ad interitum propendet, nec
 diu quicquam roboris firmitatisq; obtinere potest.
 Dum enim horum animi firmissimo Concordia nexu
 cincti & inter se colligati sunt, quis, obsecro, hostium
 externorum facilime impetu in Rempub. irruet, eam-
 que euertet: Quod ponderans artificisq; quasi statera
 examinans Atheniensium Imperator prestantissi-
 mus Themistocles bellum contra Persas inire noluit,
 priusquam similitates quauis priuata deposita essent.
 Ideoque ipse infensissimum suum aduersarium Ari-
 stiden adiit, & data dextra in hac uerba erupit:
 En inimicitias deponimus, communemq; rem agi-
 mus, donec bellum aduersus Persas confecerimus. Ita
 cum Senatu Romano graue bellum aduersus Han-
 nibalem & Asdrubalem in Italia gerendum esset, fi-
 delissimè primùm M. Liuium Salinatorem & Clau-
 dium Neronem hortatus est, ut similitates finirent,
 Reipub. quam ipsis, periculosiores. Qui cum tot prin-
 cipum ciuitatis consensu uicti in gratiam redirent,
 & uno animo belligerarent, felicem quoque succes-
 sum

DE CONCORDIA.

sum sortiti sunt. Nam Asdrubalem sexaginta milibus armatorum in Italiam ingressum, & castra Hannibalis castris iungere parantem cum omni exercitu deleuerunt, & ita rem Romanam, contusa Pœnorum ex prosperis prælijs ad Thrasymenum & Cannas superbia, iterum feliciter erexerunt & sustulerunt.

Sic cum populus Romanus Fabium Maximum Rullianum Consulem creare, eique L. Volumnium adiungere conaretur, ille ilico surrexit, orationemque instituit, dicens: *Dij approbent, quod agitis, acturique estis Quirites. Cæterum quoniam in me, quod vos vultis, facturi estis, in collegâ sit mea apud vos gratia locus. P. Decium expertum mihi concordie collegio virum, censurâ & duobus simul consulatibus gestis quesò mecum Consulem faciatis. Quippe hunc novi senectuti meæ adminiculum fore, & nihil concordie collegio firmitus ad Rempub. tuendam esse. Cui honestæ Fabij petitioni unanimes etiam suffragio subscriptum fuit, siquidem neminem Romanorum iam latebat, quæ ex Concordia Consulium civiumque bona, quæq; ex discordia evenirent mala.*

Nam

ORATIO

Nam ubi hæc gliscere incipit, Reipub. membra
in contrarias partes impelluntur, in sua ipsorū vi-
scera arma vertunt, nec alter alterum ob leues inter-
dum & quasdam priuatas offensionū caussas odisse,
liuoris maculā decolorare, aculeatis verbis impetere
& despiciere desistit, fenestra ibi simul externis gen-
tibus aperitur, & ansa salutem communem profligandi præbetur, quod ne quidem probationibus indigere videtur. Præ foribus enim sunt infinita exempla, quæ multas & vix numerandas ciuitates civili tantum discordiâ perijsse, & à barbaris occupatas esse euincunt. Aspiciamus enim vastissimas Græciæ vrbes. Nonne hæ domesticis saltem dissidijs afflictæ interiøre? Intueamur item Imperium Romanum. Nonne hoc tandem, ciuibus mutuis odijs & armis in se inuicem seuientibus, in extremum discrimen prolapsum est? Verissimè itaq; Poëta ille cecinit, in-
quiens:

Multò turba minor perijt, quòd in agmine semper
Mutuam opem sibi ferre, malumq; arcere studebant.

Et rectè fecit Silurus Scythæ, qui iam moriturus
Octoginta suos, quos habuit, filios ad lectum voca-
uit, singulis iaculorum fasciculum dirumpendum
porrexit, & cum id ijs factum impossibile esset, ipse
singul-

DE CONCORD.

singula iacula exemit, & hoc modo ea facile cōfringēs
in hac verba euasit: Ecce, mei filij, si concordēs eritis,
vos quoq; inuālidī inuictiq; manebitis: Contrā, si dis-
sidijs & seditiōibus distrabimini, eritis imbecilles,
& facile à quouis vincemini.

At, ne nostra in immensum excrescat Oratio, iā
deniq; ad domesticam Concordiam properabimus,
& pauculis, quanta Oeconomia ab ea decerpit per-
cipiatq; commoda, pauculis attingemus. Hæc verò
cum publicæ seminarium sit, cuiq; satis constat, hanc
non minores proferre commoditates, quod & in com-
muni vita facile obseruare poterimus. Si enim
maritus & uxor, parentes & liberi, domini & ser-
ui in iustis consentiant rebus, & operas suas in-
uicem unanimitè coniungant, benedictio diuina
super eos requiescet, cuncta ex animo procedent, &
ita ditabuntur, ut ipsis nihil ad vitæ sustentatio-
nem, aliaq; officia, pio & honesto ritu obeunda, desit,
nec eorū domo quicquā felicius, & quicquā florenti-
us existat. Si autem continuis disceptationibus se ni-
miū torqueāt, bobus ζυγομαχῶσαι non absimiles erunt.
Quemadmodum enim, si horū unus ad dexteram, al-
ter ad sinistrā se conuertat, omnia sursum deorsumq;

E ferun-

ORATIO

feruntur: ita eadem cum iis, si rixis incubuerint, Tragedia agatur, & Codro, quod aiunt, pauperiores reddentur. Nam sicuti humani corporis partiumque singularum turpem deformationem & interitum sequi oportet, si dextra manus truncet sinistram, pes alter alterum supplantet, ipsi digiti oculos configant, ceteraque membra proximorum alimenta ad se attrahant: sic apud eos rem familiarem interciderere necesse erit, si sese mutuis odijs & insidijs prosequantur.

Quocirca ex hisce meridianâ luce clarius esse arbitror, amplissimis, augustissimis, inexplicabilibus emolumentis omnes vitæ humanæ status Concordiam donare, decorare, inundare, cui utpote soror Amicitia semper adhaeret. Perinde enim ut absq^{ue} Concordia nullam hominû societatem conservari posse percepimus: ita absque amicitia vitam prorsus nullam esse statuamus. Vnde & rectè à Grecis amicus ^{αὐτὸς ἐξ ὧν} nuncupatus fuit. Nec hæc virtus à se ^{ἐπιείκεια} unquam disiungi concedit. Quî enim ea immota permanere poterit, nisi ad amicorum errata interdum conneamus, & ambigüe facta dictaq^{ue} sæpe in meliorem interpretemur partem? Vnicam autem habet pestem discor-

DE CONCORD.

discordiã à diabolo promanantem, & quæuis mala in terrarum orbem inducentem, uti id hætenus ad rævum usq; demonstravimus, & ita evicimus, ut res nulla reiteratione longioriꝫ explanatione indigeat.

Quare, ne diutius vestra benevolentia abutamur, ac vestris auribus molesti potius, quàm iucundissimi, hic filum Orationis abrumpemus, remos inhibebimus, portumq; respiciemus.

Audiuistis autem, Auditores Reuerendi, clarissimi, nobilissimi, humanissimiq; audiuistis, inquam, generosã illius Virtutis Concordiæ nobilitatem & originem, audiuistis illius in omnibus vitæ generibus præstantiam, audiuistis in negotijs ^{ἐν ἐργασίαις} cum alijs virtutibus cognationem, & à pessimo omnium vitio diuersitatem.

Quæsi animis nostris insederint, in pectorum nostrorum tabellis depicta remanserint, nec vlla negligentia rubigine commaculata fuerint, quis, quæso, vlla locorũ intercapedine vel temporũ iniuriã sese ab ^{ἐπινοίαι} mutuaq; benevolentia fouẽda abstrahi deterre-riq; patietur? Huicne enim nos nostraq; studia consecrantes, nos totos cum ijs DEO, illius auctori, consecramus? Consecramus. Hanc-

ORATIO

Subjunctio
 Hancne sequentes ipsam Naturã, sanam rationem,
 liberalemq; disciplinam ducẽ sequimur? Sequimur.
 Hancne colentes, Ecclesiã & Scholarum curam susci-
 pimus, Reipublicã de salute prospicimus, & Oecono-
 miã incolumitatem querimus? Ita sanè. Hancne de-
 niq; amplexantes, quosuis firmissimo amicitia præsi-
 dio nobis devincimus, ab omni malevolã suspicione
 nos immunes reddimus, simultatumq; fomenta ex-
 plodimus? Sic consultum videtur. *Elegans* *Subjunctio*
 Tanta itaq; tam fecundissima infinitorum bonorum genitrix &
 conservatrix æternim inter nos vigeat, floreat, cre-
 scat; quod ut fiat, mentes nostras sursum elevemus,
 & sic fari incipiamus:

Concordia
 Tu qui celsa colis nitidi laquearia cœli,
 Summe pater, patris stirps, utriusq; vigor.
 Te duce cum solo, quicquid conamur, agamus,
 Desertiq; tua nil valeamus ope;
 Ad te confugimus, te sollicitamus, amoris
 Vnius ut nexu pectora nostra liges.
 Nos inter serues concordis munera pacis,
 Et runces rixas, quas Ægis atra serit.
 Sic ut tranquillæ degentes otia vitæ
 Possimus studijs inuigilare bonis:
 Discere vel gemino de fonte fluentia jura:
Arti Pæoniæ siue dicare dies:

Siue

Siue (quod extremū, summumq;) volumina sancta
Voluere, quæ stygius tollere Pluto cupit.
Non etenim tantū magis instigantur ab ipso
Papa ferox, vastans cunctaq;, Turca, manu.
Hæc ut monstra tonent, ignes & fulmina spirent
Aduersus verbi dogmata pura sacri:
Christi adumq; pium disperdant funditus agmen
Ferro, Vulcano, forcipe, fune, rota:
Ast hodiè simul ac Dux iste domestica tentat
In patrio nostro bella ciere solo.
Non procul à nobis sobolem dum rettulit Orco
Carlstadij, doctam fallere mille modis.
Fallere mille modis quæ pectora nouit, & ipsa
Vertere peruersis dia statuta notis.
At, DEVS alme, malo succurras, quæsumus, isti,
Tartarei reprimas vimq;, dolumq;, canis.
Schismata nec tolere irrepere Leucorin almam,
Hæc sit at auxilio tuta Sarepta tuo.
Sint, tibi qui faciant & dicant grata, nec vnquam
Carminibus cessent te celebrare piis.

DIXI.

In Orationem de Concordia
ORNATISSIMI ATQVE
DOCTISSIMI VIRI, DN. IOHANNIS
CRAMERI, IN POMERANIAM AD RECTO-
RATVM SCHOLÆ COSLINENSIS VOCATI;

Dimetron

M. ANTONII EVONYMI, CA-
RINTHII, ETHICES ET LOGICES PRO-
FESSORIS PVBLICI IN INCLVTA
Witebergensium Academia.

CONcordiæ fons est Deus,
EX quo scatentes riuuli,
Ecclesiam, forum, scholas,
Largis rigant fluoribus.
Vberrimis hic irriget,
O, guttulis plantaria.
Tu, quæ colenda suscipis
Vir, digne tantis præmijs.

ἄλλο ἀνακρεότερον.

IN EANDEM

M. BALTHASARIS SCHVLTZII,
GRYPHENBERGENSIS, POMERANI.

Ομόφωνον ἄνδρα τιμᾶν
χαρίτων χάρις κελεύει
Μάκροθεν φιλοῦντα μήχας,
πολέμους τ' ἔρινας ἀγάττειν.

φιλό-



φιλότιμον ἄνδρα μισῶν
χαρίτων χάρις κελεύει
Κακομήχανον δ' ἄναρσι,
Ολόκηρον ἔχοντα λύσασθαι.
Σίτε νῦν Κραμῆς ἱμῶν
χαρίτων χάρις κελεύει.
ἔριδος δ' ἀνεχθῆς ἀνῆρ,
Κεχαρισμένως Ἐρήνην.
Ομοφρονέειν Κραμῆς
Καθ' ἅπαν ἄει τελεῖσθαι:
προτέρως μὲν γὰρ ἱμῶν
χαρίτων χάρις κελεύει.

ÆNIGMA eiusdem.

EIPHNHN vexavit EPIS, contentio mira;
Post pugnam tandem; res noua; vicit EPΩΣ;

Ἐπίγραμμα ALIVD
ANTONII NATZMERI,
NOBILIS POMERANI.

Magna potensq; DE A est Eris, at Concordia maior,
Vilia pax seruat, lis ruere alta facit.
Vidisti hoc, mi Iane, ideoq; incommoda belli,
Et docta pacis commoda voce canis.
Magna meret, pacem populis qui parturit almam,
Qui de pace λόγον scribit, & ille meret.

ALIVD
VALENTINI MON-
CHOVII, NOB. POM.

EST labor egregius, vitiorum pingere veras
Nec non virtutum tradere ritè notas.
Quod cum præstiteris patrii, tu docte Cramere,
Mox ornamentum, & fama future soli;
Non dubites, laudis quin sis habiturus amatæ
Præmia, vt hîc tribuit concio tota tibi.

ALIVD

ALIVD
IOACHIMI PODEVVILSII,
NOBILIS, POMERANI:

G Rata licet res sit: tamen est Concordia rara,
In caussa est, capitum multa figura: tenes?
Sed sit rara, tibi laus attamen optima restat,
Commoda quod pacis, chare Cramere, canis.

ALIVD
IOACHIMI AB AREN-
STORF, NOBILIS.

A Vtor, quid dubites studium committere prelo?
An, quia pauca nimis chartula verba tenet?
An quia lioris præternens spicula vates
Ex morfu Momi vulnera sæua times?
Tale nihil timeas: fregisti spicula Momi,
Chartaque permagni signa laboris habet.

ALIVD
IOHANNIS HIERONYMI
NEOPOLITANI.

C O N C O R D I A
Anagrammat.

C A N O C O R D I.

A Vgusto te stare loco, celebrisque corona
Applausum dictis, I A N E, merere tuis.
Scimus & invidiâ non suggillamus honorem,
Sed tanti virtus cum fiet hæc pretij:
Cur hominum semper vivit Concordia discors?
Aut hoc, aut alio lemmate caussa patet.
Corde homines nigro viuunt; Concordia C A N O
C O R D I, si nomen contuearis, inest.

ALIVD

ALIUD
DANIELIS CNOSSÆI,
SCHLAV: POM.

COEtibus humanis multum **CONCORDIA** confert,
Ad socios **CHRISTI** quòd pia verba docent:
Mutua vos inter mea gens **CONCORDIA** regnet,
Ignorent vestræ iurgia dira domus.
Colliget hinc mundus, vos cœlica verba sonare,
Discipulos **CHRISTI** vos vocitabit, ait.
Ergo **DEI** populum **PAX & CONCORDIA** signat,
At Satanæ stercus seditiosa cohors.
Hæc alijs longè virtus præstantior vna,
Res cum laude gerit, res sine peste gerit.
Hac sine cœlestis nil præstat concio verbi,
Hac sine Doctorem cura laborq; perit.
Hac absente tenet nullas respública vires,
Hac sine nulla potest salua manere domus.
Pingit vt hæc aptis præsens Oratio verbis
Commoda, quæ magni ponderis esse vides.
Ingenio fert digna suo, fert digna **CRAMERVS**
PATRONIS: CLARII sic iuga montis adit.
Perge **Cliens**, melior te nulla corona virorum
Excipit, ingenij plurima signa refer,
Grata **DEO** præstas, humanis vsibus apta,
Publica laus merces magna laboris erit.

ALIUD
MARTINI RVBACI, CVSLINENSIS
POMERANI.

Philosophis lex est; Omnes **CONCORDIA** quedam
Res iungit, rutilo quas rotat orbe polus.
Hac floret seu priua domi seu publica res sit,
Hac demptâ pessum corruiit omnis honos.
Aspice dissiduas facile vt proiectet arenas
Aequor, vbi **Arctoo** concitum ab orbe tumet:

F

Contra

*Contrà, collectos si quis confringere fasces
Cogitat, hos debet dissoluisse prius.
Tantum vis collecta valet, CONCORDIA tantum,
Principibus decuit quam placuisse viris.
Principibus placuisse; ô vite dexteritatem
Quam facerent tali pectora iuncta fide.
Quicquid sit mi Iane: tamen manet atq; manebit
Quaedam de Christi nomine dicta cohors,
Interea tibi, quæ paucis Concordia cordi est,
Et nos quæis cordi est, grata CRAMERE damus.*

ALIUD.

IOACHIMI PHILOSTRATI, STARGARDENSIS POMERANI.

Nontenuis labor est, tenuis non gloria, posse
Virtutum proprias, IANE, referre notas:
Ergo tibi meritò debetur gloria dulcis,
Hinc tibi debetur, docte CRAMERE, decus;
Exemplo reliquos dum vis anteire probato,
Virtuti ut studeant, & mala facta fugent:
Nuper enim quæ damna ferat, quæ incommoda Luxus
Monstrâsti, quàm sit noxia & EBRIETAS,
Nunc animis iterum tibi quid CONCORDIA proferat
Est narrare viris, IANE, quod ipse probo.
Gratulor inde tibi, simul ac bona sæpe precabor
Optando studijs commoda mille tuis.

ALIUD.

*CHRISTIANI CROLAI
COLBERG. POMERANI.*

CEV sibi quem crebris quæsiuit ab actibus usum,
Conspicuo gaudet prodere Marte pugil;
Ne sua perpetuis lateat contacta tenebris
Fama, sed ut laudis præmia digna ferat:

Sic,

Sic, mi Iane, modò studium, quod sedulus olim
Ursisti, luci credere non dubitas.
Quæ mala, texisti nuper, ferat Ebria vita,
Et quæ Sobrietas commoda magna ferat.
At nunc quæ præstet nostris Concordia rebus
Commoda, quæ bellum damna det, ore refers.
Perge CRAMERE, labor tuus haud erit irritus, olim
Dicendi clarum nomen ab arte feres.

ALIVD.

DANIELIS REVERTERI
CVSLIN. POMERANI.

Consilio, calamis, linguis & verbere tandem;
Pro pace pugnare iubet ipse Comicus.
Consilia, pugnis alij; tu IANE Cramere,
Certato Scriptis, voce, pro Concordia.
Digna opera & merces, tibi erit pax obuia passim;
Passimq; te comitantur ipsa Gratia.

ALIVD.

SIMONIS GRONENBERGII, FRIEN-
VVALDENSIS POMERANI.


Magna patras Sophiae studijs addictæ IOHANNES,
Magna patras, dulcis tibi quod Concordia cura est,
Atq; hanc Socraticis tentas exponere verbis,
Nec te desciunt Ciceronis fila suavis.
Omnia nam cernis ferri sursumq; deorsumq;
Ipsam Turca parat nunc vertere funditus orbem,
Iurgia nunc miscet consul cum consule, matrem
Filia nunc odit, fratrum concordia rara est.
Perge ergo: ex Romulo similes his collige flores,
Et patriæ fies ita grata aliquando columna.

F I N I S.

ax 77 1150

M





B.I.G.

Farbkarte #13



III 877

II f
1150

D. O. M. A.

Oratio
CONCORDIA;

Quam

CLVTA ATQVE
RIMA VVITEBERGEN-
mia, ex publico loco, 8. Ca-
nij, anno à partu virgineo
597, edisseruit

ES CRAMERVS, ANGLA-
SIS, POMERANVS.



VVITEBERGAE
is Simonis Gronenbergij.

M. D. XCVII.

BIBLIOTHECA
NICKAVIANA